





53.

59

DISSERTATIO HISTORICO - MORALIS,
DE

M O D O
CALUMNIANDI
PER LAUDES,

QUAM
SUB AUSPICIIS DIVINIS,
SENSU AMPLISS. FACULT. PHILOSOPH

IN
ACADEMIA LIPSIENSI,

SUB PRÆSIDIO
D O M I N I,
M. CAROLI FRIDERICI
PEZOLDI,

Scholæ Senatoriæ ad Div. Nicolai
Collegæ Ill. bene meriti,

FÀUTORIS AC PRÆCEPTORIS,
ad cineres usque venerandi,

Die Martis, XXIX. Jan. M.DCCIV.

defender

AUCTOR ET RESPONDENS

JUSTUS JACOBUS 

QVEDLINBÜRGENS. SAXO, SS. Theol. Stud.

LIPSIÆ,


LITERIS JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI.

REVERENDISSIMÆ AC SERENISSIMÆ
PRINCIPI AC DOMINÆ,
DOMINÆ
ANNÆ DO-
ROTHEÆ,
DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, ET
MONTIUM, ANGRIÆ ET WESTPHALIÆ,
LANDGRAVIÆ THURINGIÆ, MARCHIONISSÆ MI-
SNIÆ, IMPERIALIS LIBERÆ AC SECULARIS DIO-
CESEOS QVEDLIMBURGENSIS ABBATISSÆ, PRIN-
CIPALI DIGNITATE COMITI HENNEBERGICÆ,
COMITI MARCÆ ET RAVENSBERGI,
DOMINÆ RAVENSTEINI
&c. &c.

PRINCIPI AC DOMINÆ
MÆ CLEMENTISSIMÆ

*Hæc Academicorum suorum studiorum primitias ea, qua decet,
animi submissione
offert ac dedicat.*

Subiectissimus humillimusque servus
JUSTUS JACOBUS Schulze



CONSPECTUS DISPUTATIONIS.

- §. I. *Calumniæ Etymologia.*
§. II. *Ejusdem Synonymia.*
§. III. *Homonymia.*
§. IV. *Laudis natura & pretium offenditur.**
§. V. *A calumniis, quæ fiunt per laudes, removentur laudes in promotionibus Academicis obvia, nec non*
§. VI. *Laudes adulatorum.*
§. VII. *Describuntur Calumniæ per laudes.*
§. VIII. *Dividitur calumnia in manifestam & in præsumptam.*
§. IX. *Objectum personale, quod hæc per laudes calumniæ feriunt, affertur.*
§. X. *Forma hujus vitii notatur.*
§. XI. *Objectum reale, quod per has calumnias leditur, sistitur.*
§. XII. *Modus harum per laudes calumniarum indicatur.*
§. XIII. *Origo calumniarum per laudes offenditur.*
§. XIV. *Subjectum harum laudum sunt homines improbi.*
§. XV. *Et quidem sæpius in magna auctoritate constituti, quibus est occasio.*
§. XVI. *Præsertim multi aulicorum; quod Polybii &*
§. XVII. *Taciti testimonio illustratur.*
§. XVIII. *Unde occasionem calumniandi sumant hi delatores monstratur.*
§. XIX. *Pharisæi per laudes Christum calumniantur Matth. XXII. v. 16. Pariter etiam*
§. XX. *Manlium Valentem Fabius Valens.*

- §. XXI. Tiberium Augustus.
 §. XXII. Ursicinum Arbetio.
 §. XXIII. Antonium Primum Mucianus.
 §. XXIV. Alphonsi de his laudibus iudicium ex Enseb. Meisnero adducitur.
 §. XXV. Libonem etiam maligne laudavit Tiberius.
 §. XXVI. Agrippinam Sejanus.
 §. XXVII. Improbas ejusmodi laudes Herodoto Plutarchus objicit.
 §. XXVIII. Eas etiam Julius Agricola experiebat ur.
 §. XXIX. Idem obtinebat inter Principem de Silva & Ducem Albanum.
 §. XXX. Niceta Choniatis iudicium.
 §. XXXI. Vindicatur phrasia Horatii, maligne laudare, a Minelli regis.
 §. XXXII. Phædri fabula de vulpe corvum laudante allegatur.
 §. XXXIII. Pertinet hoc, quando per laudes proprias alteri insidiantur.
 §. XXXIV. Quando indignum laudant, tum ut hominis audacia innotescat, tum ut auctoritati ejusdem Patroni detrahant.
 §. XXXV. Quando non necessarias laudes afferunt, necessarias vero silent.
 §. XXXVI. Quando laudant, ut quis, sibi placens, eo magis vitia sceleretur.
 §. XXXVII. Quando laudant, ut arcana rimentur subdole.
 §. XXXVIII. Quando laudant, ut occasionem adversario suppeditent, in laudatum invehendi, ejusque laudes retundendi.
 §. XXXIX. Quando dignum quendam dicunt, qui lautiori sparte reservetur.
 §. XL. Quando cum viris, laude quidem non indignis, conferunt, sed de quorum vitis etiam constat.
 §. XLI. Quinam Deum per laudes calumniari sint dicendi?
 §. XLII. Moralitas harum per laudes calumniarum demonstratur.
 §. XLIII. Jndicia, & pœna earundem indicatur.

§. XLIV.

§. XLIV. Effectus calumniarum per laudes innuitur.

§. XLV. Laudat Bombasium Erythraeus, quod abstinerit ab iniquis his laudibus.

§. XLVI. Per laudes quoque calumniantur, qui pro literis συστατικαῖς dant accusatorias.

§. XLVII. Apellis Ara, qua Calumniam depinxit, describitur.

§ LXIIX. Monitum Musladini Sadi allegatur.

§. XLIX. Pio voto dissertationi finis imponitur.

§. I.



IN vocabuli incunabula significatio-
nemque anxie nimis inquirere consultum mi-
hi haud videtur, hoc labore a Lexicographis
abunde peracto, quos nunc exscribere, & lau-
ream in mustaceo quarere nec lubet nec vacat,

praesertim cum rem, non terminum, dilucidio-
rem reddere animus sit. Hinc brevibus fas erit annotasse, aliquos calu-
mniae vocem derivare a καλεῖν, vel ἀπὸ τῆ καλόν μείν h. e.
bonum diminuerē & depravare; Aliquos ab antiquo verbo
Calvo, Calvere, h. e. decipere & frustra habere; hinc Teren-
tius Adelphi, *Aët. IV. Scen. III.* Propter suam, inquit, *impotentiam*
semper credunt Calvier. Aliquos denique ab Hebraico
קלל quod *elevare & extenuare* est. Graece calumniae viti-
um nervosē satis διαβολή appellatur, cum trajiciat, & noxio
velut telo proximum transfigat.

§. II.

Calumnia Tacito dicitur Delatio, Ciceroni Ob-
trectatio, Plinio Sugillatio & Denigratio, Plauto Sycophan-
tia; Voetius *Part. IV. Select. Disp. de Calumn. pag. 704.* Ca-
villationem & Contumeliam dicit. Pertinet huc, quando Ma-
crobiius *Saturnal. Lib. VII. cap 3.* Celaras, ancipites, clancu-
lum latrantes, larvatas, & mordaces vocat irrisiones.

§. III.

Denotat autem Calumnia (1) *quandis malitiam;*
(2) *fraudentam in iudicio vexationem.* (3) denique, cum
quis sciens *ledit alterius famam, etiam extra iudicium saepe.*
Atque hæc posterior acceptio hujus præfertim est loci.

§. IV.

Quod laudis naturam aut pretium concernit, di-
cuntur illi laudare, rem, actionem, personamque verbis qui
efferunt. Equidem plurima sunt laudum genera, casta nuce
viliora, & primæ hominum vanissimorum notionem, quando
alios nonnulli laudibus tractant, vel quod hoc consuetudini
sint, vel ut ipsi vicissim laudentur, non aliter, ac muli se mutuo
scabunt. Cum enim miseri quidam homines vehementer
delectentur suis laudibus, & asioni veterum aviculæ non ab-
similes sint, quæ græcis *ἰστὸν* dicitur, & de qua Svida aliique
narrant, eam præ gaudio saltitare, cum laudibus se evehi au-
diat: mirum esse non potest, si multæ laudes in formulas so-
lennes, imo venales, hodiernum abierint. Alii non ex iudi-
cio, sed imitatione, picarum instar, laudant libenter, quod
ab aliis, vel peritioribus vel pluribus, deprædicari audiverunt,
tum ut ipsi quoque videantur sapere; tum ut affectibus suis,
præjudiciisque, hæc suggerentibus, indulgeant. Enim vero
cum singulis hominibus amor sui sit ingeneratus, ad ea dili-
genda, laudibusque efferenda proclives sumus, quæ cum in-
genio, moribusque nostris videmus congruere. Unde im-
probi etiam, tamen virtutis honestatem palam conviciari &
improbare verentur, perraro tamen laudare bonos animad-
vertes, ob maximam morum dissimilitudinem. Quanquam
igitur difficile admodum est, dijudicare, num fides habenda
sit

fit laudantibus, quia imperiti minusque candidi passim reperiuntur Encomiastæ; Præsertim cum nullos esse avariores in tribuendis laudibus observemus, quam qui vix mediocribus ipsi meritis ac virtutibus præstant: Tamen solida veræque laudis & gloriæ studium non magis potest improbari, quam studium virtutis ipsius. Sunt enim laudes genuinæ illæ demum, quæ omni procul adulatione, spe, metuve, sponte, toroque animo, a sinceris & Sapientioribus tribuuntur rebus, actionibus & personis, vere laudari quæ merentur. Sunt laudes eæ certum gaudii testimonium, quod homo sapiens virtutisque & honestatis studiosus ex rerum vel actionum, laude dignarum, observatione percipit, easdemque aliis nec temere nec effuse commendat. Ex adverso qui laudes omnes aspernari & contemnere volunt videri, verbis tantummodo eas explodunt, re ipsa tamen summo studio expetunt, nullamque prætermittunt ansam commendandi sui nominis, uti jam olim Cicero in oratione pro Archia recte notavit ipsos illos Philosophos, etiã istis libellis, quos de contemnenda gloria scribebant, nomen suum inscripsisse. Quin imo ex Paulo Apostolo probari potest, non omne laudis studium Christianæ religioni adversari, dum non temere ad illud hortatus est Philippenses his verbis: *εἰ τις ἀρετὴ, εἴ τις ἐπαινος, τὰύτα λογίζεσθε Philipp. IV, 8.*

S. V.

Atque hoc Calumniarum genus, quod per laudes fit, pertractaturi, monemus, non pertinere huc istas laudes, quando in Promotionibus Academicis de singulari Candidatorum eruditione multa proferuntur, cum tamen ad Lydium veritatis lapidem examinata hæ laudes sint excessivæ, vide *Illustris Dn. JACOBI BORNII, Juri consummatissimi, exalciatum Programma, in Promotione Juris Licentiatorum anno 1679. Lipsiæ publicatum, ubi insimul laudes eas ab Adversariorum exceptionibus solidissime vindicavit.*

S. VI.

§. VI.

Nec Parasitarum, assentatorum, aliorumque laudatorum (κατ' ἀνάγκη αὐτῶν adulatorum) intempestivas malignasque laudes hic intellectas volumus; de his enim si foret agendum, praesentes haud sane sufficerent cancelli. Memini, me in *Athenaeo Deipnosophist. Lib. VI. p. 251. seqq.* legisse, quod assentatores, quia Dionysius minus oculis perspicax esset, inter cœnandum obruse cernere se fingentes, apposita fercula, ac si ea visu discernere non possent, temere contrectaverint, & cum spurator Dionysius esset, faciem sputo conspergendam ei objecerint, salivam, & quæ vomitu egresserat Rex, delingentes, eaque melle dulciora esse affirmantes.

§. VII.

Hunc igitur modum calumniandi per laudes describimus, quod sit vitium, quo quis sciens & volens, doloque malo, aut in sermone, aut in scriptione aculeata & tacite injuriosa, sub callido quodam laudationis prætextu, alterius famam fortunamque lædit. Adeoque hæc encomia & laudes cum malitia, & laudato nocendi damnumque vel ignominiam inferendi cupiditate, conjunctæ sunt.

§. IIX.

Dividitur Calumnia in *manifestam*, quando sugillans scit, aut scire debet & potest innocentiam accusari, eum tamen falsis accusationibus traducit, uti uxor Potipharis in innocentem Josephum scortationem contexebat, *Genes. XXXIX. v. 14. seqq.* Et in *presumptam*, quando non probat aperte id accusator, quod contra alium malitiose allegavit; tum enim secreto calumniari præsumitur. Excusantur tamen, qui quidem accusant falso, sed justo aliquo dolore vel causa legitima ad id impulsî, non malitia, vel evidenti calumnia.

§. IX.

§. IX.

Quemadmodum vero Calumnia in omnem ætatem, sexum, & ordinem debacchari solet; ita negandum non est, hoc per laudes calumniandi modo, virtute & honoribus præ ceteris eminentes potissimum peti, quandoquidem hos invidia comitari consuevit.

§. X.

Committitur autem hoc vitium, contra charitatem & veritatem doloque malo susceptum, a sciente & volente; siquidem calumniator novit, aut nosse debet, quæ profert esse in alterius detrimentum directa, Eaque propter Moralis Philosophiæ Doctores discrimen constituunt inter calumniam *materialem & formalem*. Ad hanc requirunt recte, ut fiat animo lædendi, Neque enim vere calumniari dicuntur, quibus excidit verbum, quod ab aliis in deteriore sensum rapitur aut detorquetur.

§. XI.

Diximus non modo circa fortunas nostras e. gr. tempore belli, si quem quis a divitiis laudat, ut ipsum deinde nummos hosti exsolvere oporteat; sed circa *Famam* quoque occupari calumnias quæ fiunt per laudes. Et hæc vel simplex est, vel intensiva. *Famam simplicem* Pufendorffius *J. N. & G. lib. VIII. c. IV. §. 3. p. 1105. sqq.* dicit: quando quis talis habetur, cum quo queat agi tanquam cum viro bono, & ad societatis humanæ leges sese accommodare, pronò: *Intensivam* vero nominat, secundum quam personæ, alias quoad existimationem simplicem æquales, sibi invicem præferuntur, prout uni præ altero insunt, quibus

B

ali-

aliorum animi ad exhibendum honorem permoveri solent. Ultramque famam lædit calumnia, quæ fit per laudes, simplicem, ut hominem e bonorum numero in tantum excludat; intensivam, ut quis honoribus dignitateque indignus videatur. Hinc Thearidas læsionem calumniæ respiciens, an gladius acutus sit interrogatus, recte respondit: Calumnia acutior. *Plutarch. Moral. p. m. 209.*

§. XII.

Næque sermone solum, sed scriptioe etiam, imo signis & nutu, ipsaqve taciturnitate, quæ sæpe locum verbi habet, sunt hæc per laudes calumniæ; Cum enim sermo æque ac scriptio, aliæque mentis signa, sint Character animi, & cum animus malevolentia ejusmodi sit imbutus, quid quæso aliud ex hisce verbis, quam injuriæ, erit expectandum.

§. XIII.

Cum ex amore & gaudio, ex laudatæ rei usu & consideratione percepto, veræ proficiantur laudes; tum vero improbas has laudes partim ex odio nocendique studio; partim ex metu, quo minus aperte plerique eos, quos odierunt, vituperent, sed laudando potius obsint; partim ex invidia, qua aliorum virtutes iniquis plerique oculis respiciunt; partim ex superbia, qua omnibus aliis se præferre gestiunt, oriri animadvertimus. Quin sæpe etiam ambitionem, improbam sane cunctorum horum vitiorum sobolem, pessimarum harum laudum causam esse nemo facile diffitebitur. Etenim Menagio in *Menagiantis* p. 403: non auscultamus, falso asserenti: *licet ipsa sit vitium ambitio; multarum tamen causa est virtutum.* Solida enim lau-

laudis studium, quod ad veras virtutes excitatur, non est vitium. Ambitio autem, cum immoderatum & imprudens falsarum vanarumque laudum studium sit, etiam ex parte ipsius laudantis; non virtutum, sed vitiorum potius plurimorum, pessimiarumque actionum erit origo.

§. XIV.

Ex quibus apparet, calumnias, quæ per laudes fiunt, non nisi in malos cadere, quos vel furibus deteriores, scriptor Hagiographus Syracides *cap. V. v. 18*, iudicat; quandoquidem vitium est calumnia, natum ex vitio, & gignens vitia, ut non nisi mendaces & invidi calumniæ existant patroni, eaque alios velut gladiis lædere annitantur, *Ps. LVII, 5*. Cum enim sub callido laudationis prætextu hic calumniandi modus, partim ne læsus assero calumniatoris fides, partim ne læsus resciscens laudes iniquas, ægre ferat obrectationem, calumniæque accusationibus occurrat, suscipiatur: Certe monstrum hæc calumnia erit dicenda, cui mille figuræ, mille nocendi artes. Norunt enim isti laudum iniquarum artifices, quod talia dicta pressius hæreant, haud secus ac hami angulosi directis mucronibus renacius insiguntur: Maxime cum manifesti verborum sermonumque conflictus, haud secus ac aperta exercituum prælia, prorsus fere in desuetudinem abierint, ut quemlibet potius malignum suum & injuriosum animum jocosum, facetiarum, aut alio festivitatis velo, cooperire videamus. Contra vero ea, teste Plinio, hoc ipsum amantis est, non onerare laudibus, *lib. I. Epist. 14*.

§. XV.

Sed modo per laudes obrectandi non tam viles & loqua-

loquaces, quam magnæ auctoritatis ac doctrinæ viri sapius indulgent. Hi enim, magnorum consiliorum participes, occasionemque nacti, uti commendatione sua multum prodesse possunt; ita fugillatione cum laude conjuncta non parum etiam obesse valent.

§. XVI.

Eminet hoc per laudes nocendi studium præsertim inter aulicos. Id quod etiam *Polybius*, Scriptor præstantissimus *Lib. IV, cap. 3*, in fine, testatur, *novum, inquam, inventum esse, non vituperando, sed laudando famam & commodis hominum infidiari: Quod vitium, pergit, in aulis Principum, usque adeo inolevit, ut ea loca tanquam proprias sedes videatur elegisse.*

§. XVII.

Hi enim, invidi plerumque & æmuli, alios Principi suspectos invidiosque reddere conantur, si non manifestarum injuriarum, at laudum ope. Recte igitur Tacitus *Lib. IV. Annal. c. 8. aulicis*, inquit, *plerumque est animus audax, sui obtagens, juxta adulatio & obretractatio, palam compositus pudor, intus summa adipiscendi libido, fronte læti, pectore anxii, subdoli etiam fingendis virtutibus, &c.* Dum enim Aulici advertunt, alterius consilia magni fieri, moti invidia aut æmulatione præoccupant, occasionemque præcidunt emergendi, defectus alterius carpendo, laudibusve nimis ipsam onerando. Nam ex abrupto, & spreto omnibus sermonum & actionum involucris, aliquem vituperare velle, nimis crassum est, & vix pro subtilitate aulica. Profecto nonnullorum aulicorum commendationes, laudesque

non



non alio tendunt, quam ut, quem habent æmulum, ad ea evehant munia, quæ deinde illi exitio sunt: Aut forte ut hi splendidiore cum titulo longius ab aula submoveantur. Unde Tacitus iterum *lib. XIV. Annal. Pessimum*, ait, *aulicorum genus laudantes*. Hi enim ut decipiant cautius, palam laudant, & secretis criminationibus infamant ignaros. Adeoque per ornamenta quasi feriunt, odiumque pallientes fallunt facilius.

§. XIX.

Occasionem quod attinet calumniandi per laudes, ex omnibus eam arripiunt delatores, & vitium, si non invenerint, inferunt. Inde etiam est, cur virtutes vitiorum nomine, & vitia virtutum appellationibus decorent. Superbiam enim magnanimitatem dicunt; jactabundum nominant doctum; Loqvacem, eloquentem; Superstitiosum, religiosum; malitiosum, prudentem; timidum, verecundum. Et quis omne hujus calumniæ genus enumeret, cum nihil facundius sit malitia.

§. XIX*

Spectant huc Pharisei, eorumque ministri, harum per laudes calumniarum magistri; Christum namque adentes, encomiis eum maximis concelebrant, *Διδάσκαλε, ἰνquireντες, οἴδαμεν ὅτι ἀληθὴς εἶ, καὶ τὴν ὁδὸν τοῦ Θεοῦ ἐν ἀληθείᾳ διδάσκεις, καὶ ἔ μέλει σοι περὶ ἕδνός, ἔ γὰρ βλέπεις εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων, Matth. XXII. 16.* Blandis enim verbis excipiunt, & laudibus, quibus possunt maximis, deprædicant, quem tamen odio tantum non internecino prosequuntur. Securiorum reddere, quem laudabant, conabantur, ut ei, tale quid ne quidem, ut putabant, cogitanti, tutius imponerent.

rent. Verbo, laudibus efferebant, ut acrius pungere-
Nam

*Omnibus rebus jam peractis,
Nulla fides est in pactis.
Mel in ore, verba lactis.
Felin corde, fraus in factis.*

§. XX.

Historiæ paginam evolventi plures occurrunt, alios qui per laudes sunt calumniati. Nonnulla in præsentibus legare exempla operæ pretium duco. Enimvero Fabius Valens Manlium Valentem secretis criminationibus infamavit ignarum, & qvo incautius deciperetur, palam laudatum. *vid. Tacitus lib. I. Histor. c. 64. in fine.*

§. XXI.

Augustus quoque laudando excusandoque Tiberium fugillavit. Si quidem *Tacitus l. c. 10. in fin.* Augustus, inquit, honora oratione quædam de habitu, cultuque & institutis Tiberii jecerat, quæ velut excusando exprobraret,

§. XXII.

Nec minus Arbetio Ursicinum, sub Imperatore Constantino equestris militiæ præfectum, immensæ fictæque benignitatis illecebris impugnavit, eumque virum fortem propalam sæpe laudavit, ut lethalibus insidiis virum simplicis vitæ innecteret perquam callidus, & ea tempestate nimium potens. *vid. Ammian. Marcellin. lib. XV. qui e Bibliotheca Frid. Lindenbrogii Hamburgi 1609. prodiit,*

§. XXIII.

De Muciano refert itidem *Tacitus lib. IV. Hist. c. 39.* quod Antonium Primum, quem propalam opprimere nequibat, multis in Senatu laudibus cumulatum, secretis promissis oneraverit, citeriorem Hispaniam ostentans, discessu Clu-

vii Rufi vacuam. Et ut faciliorem viam sterneret, simul amicis ejus Tribunatus Præfecturaque largitus est. Dein postquam inanem animum spe & cupidine implevisset, vires abolevit.

§. XXIV.

Alphonfi, Arragoniæ cujusdam regis, aliquo alium præter solidum coram sese laudante, ad amicum conversi, *Et iste inquentis, exitium haud dubie ei, quem laudat, medidatur*, mentionem facit Eusebius Meisnerus in Institutionibus Aulicis c. XXXII. §. IV. p. m. 136. Neque sefellit regem sententia; sexto enim mense post laudator, quem tam ambitiose extulerat, in jus vocavit, evertissetque, nisi rex intercessisset.

§. XXV.

Prodeat Tiberius, prætura qui ornabat Libonem, convictibusque adhibebat, non vultu alienatus, non verbis commotior; adeo iram adversum eum condiderat, quem tamen secreto suspectum invisumque habebat, *Tacit. lib. 2. Annal. cap. 28.* Qua etiam propter multa de ejus virtute memorasse Tiberium idem assentit, sed verbis magis in speciem adornatis, quam ut penitus sentire crederetur.

§. XXVI.

Nec inusitatus hic per laudes calumniandi modus fuit Sejano, mire callido; Ut enim Agrippinam Tiberio redderet suspectam, amicos subornavit, spes ejus qui ultra licita inflarent; proximi quoque illiciebantur ad tumidos. Agrippinæ spiritus pravis sermonibus stimulandos. *Tacit. lib. IV. cap. XII. in fine.*

§. XXVII.

Quibusdam istas etiam laudes tum usurpatas cernimus, quum commendando hunc, alium tacite coarguunt.

no

notantque ceu dissimilem. Malignitatem ejusmodi Herodoto Plutarchus objicit, quum ab eo Athenienses, Persarum arma fortiter retundentes, laudatos dicit, non studio extollendi Athenienses, sed ceteros vituperandi.

§. XXIIIX.

Eodem calumniandi modo apud Domitianum Julius Agricola premebatur, ut proinde Tacitus *in Vita Agr. cap. 41.* de eo: *Causa periculi non ullum crimen aut querela lesi cujusdam, sed insensus virtutibus Princeps & gloria veri, ac pessimum inimicorum genus laudantes.* Hi enim callido artificio accusatoriam dicacitatem laudum peragebant titulis.

§. XXIX.

Exemplum Principis Ruygomez de Silva, & Ducis Albani hic insimul annorasse juvabit. Hic enim uti illum æmulabatur; ita Silva (Philippo II. Hispaniarum Regi intimus, & propterea gratus, quia coram prudentissimo Rege cavebat, ne illius prudentiam videretur superare,) præsertim urgebat, ut Dux Albanus strenuus Heros, ad compefcendos Belgas mitteretur; laudabatque eum adeo, ut dignus haberetur, qui honoribus magnis & amplis, in exterioribus etiam regionibus, admoveretur, saltem ut Albanum præcubula aula haberet remotum. Vide *Antonii Perezii Jus publ. pag. 129.*

§. XXX.

Inde est, quod Andronici laudationes initia injuriæ; Liberalitatem indicium publicationis bonorum; Lenitatem mortis prodromum vocaverit Nicetas Choniates *Annal. edit. Francof. 1568. pag. 34.*

§. XXXI.

Ex his patet, *Johannem Minellium* versus Horatii *Lib. II. Epist.*



Epist. 1. vers. 208. & 209. haud satis explicuisse. Dum enim poeta canit:

Ac ne forte putes, me, quæ facere ipse recusem,

Cum recte tractent alii, laudare maligne;

Minellius 70 laudare maligne interpretatus est per 70 laudare parce, anguste. Enimvero postquam effuse satis eadem in epistola Augustum laudibus extulerat Horatius, animinum ab assentatione alienum sibi esse persuadere conatur Vates, eaque de causa malignas laudes hic removeret.

§. XXXII.

Neque aliud Phædrus Lib. 1, Fab. 15. quam modum per laudes calumniandi intellexit, dum vulpem, corvi dotes & elegantiam celebrantem, saltem ut caseo, quem illa ore tenebat, potiretur, affert, & subdolis eam laudantem verbis inducit:

O, qui tuarum, corve, pennarum est nitor!

Quantum decoris corpore & vultu geris!

Si vocem haberes, nulla prior ales foret.

At ille stultus, dum vult vocem ostendere,

Emit ore caseum, quem celeriter

Dolosa vulpes avidis rapuit dentibus.

Tum demum ingemuit corvi deceptus stupor,

§. XXXIII.

Licet igitur innumerus fere numerus detur modorum calumniandi per laudes, ut difficile sit omnia harum laudum genera hoc loco enumerare; præcipuos tamen aliquos a nobis hic indicari, Lectori benevolo non displicebit. Namque in hunc censum veniunt, qui de ambigendo publico officio ita inter se altercantur, ut indignus laudibus sese ipsum deprædicet, digniorisque fama & fortunæ hoc modo insidietur. Quantumvis enim non omnis sui factatio sit vitiosa, & non omnis laus propria sordeat;

C. H. A.

Hæc tamen laus propria, cum alterius, & dignioris quidem, sugillatione conjuncta, modum calumniandi per laudem constituit. Nam, ut veterum quidam apud Cæsarium Arelatensem *Homil. 25.* falsus est, *si vera laudes sunt, sunt præconia; sin falsa, convicia.*

§. XXXIV.

Neque minus fieri potest, imo fieri, inimicorum indolem incimius secum qui pensitat, testabitur, ut quis tali aliquem muneri præficiendum curet, cui sustinendo, cum non sit par, audaciam suam non solum prodit, & se dat turpiter; sed ejus etiam auctoritati aliquid detrahitur, quo patrocianante officium est indeptus. Tali enim laude maligna utriusque hujus famam lædi est in confesso.

§. XXXV.

Parem in modum Calumnia per laudem est dicenda, si quis aliquem ab illa corporis præstantia, illisque animi dotibus laudet, quæ tamen ad obeundum præsens officium minime sunt necessaria; e contrario, si quis eam silentio prætermittat laudem, qua inprimis non erat defraudandus hic commendandus. Hoc enim modo subdole laudans indicare tentat, indignum esse munere præfenti aut beneficio, quem tamen in ceteris vel maxime collaudavit.

§. XXXVI.

Per laudes quoque calumniatur, qui insignibus ornant encomiis, quem tamen modeste reprehendere sinceri fuisset animi, saltem ut laudatus iste magis magisque vitia fectetur; illique indulgeat tamdiu, usque dum in suo sibi vitio placens, turpiter se det, ignominiamque sibi hoc pacto attrahat maximam, multumque famæ faciat periculum. Procul dubio enim laus ejusmodi animi laxat vigorem, cursumque impedit sæpe; namque dum aliquis ipsum curricula finem se consecutum existimat, curere desinit. Et sicut titillare non oportet, qui natura proli-



clives sunt ad risum ; ita etiam haud convenit laudare, qui gloriae suapte sponte sunt cupidiores. At haec non curant vafri hi ac versipelles, sed undique decipere conantur, Polypique ingenium induunt, ac, ut Lucilli apud Laetantium *lib. V. 9.* versus habent:

*Huic uni solent studio se dedere & arti,
Verba dare, ut caute possint pugnare dolose,
Blanditiis certare, bonos simulare viros se,
Nocendi insidias struere.*

§.XXXVII. Datur etiam hominum genus, quod laudare alios consuevit propterea, ut se in eorum insinuare amicitiam, sicque eorum arcana animique sensa explorare queat, quorum vanitati laudando litat, & ut denique ad deridendum eo magis propinare eos valeat, quos praeter meritum forte extulit haecenus praeconio. Atenimvero hos calumniatores cum Basilisco, si quis datur, merito comparandos esse, gravissime iudicavit *Valer. Pterius lib. XIV. p. 132. Hierogl.* Ulti enim Basilisci vis sine morfu perniciose esse dicitur; Ita argumentum Hieroglyphici dedit Aegyptiis sacerdotibus, ut, si hominem a calumniatoribus male acceptum, & mortiferis delationibus afflictum significare vellent, Basiliscum apponerent; siquidem calumniatores alios conficere nullo palam morfu infixio recte arbitrabantur.

§.XXXIX. Ejusmodi per laudes calumniandi modum observant, qui laudibus aliquem mactant in praesentia eorum, quos laudato adversari probe norunt; ut hac ratione occasionem inimici nanciscantur, quo effusius & licentius in laudatum invehantur, laudesque ejus confutent. Breviter pertinent huc laudes ironicae, & ad exagitandum potius, quam laudandum compositae. Qua de re Antisthenes, audiens ab improbis quibusdam se laudatum esse: *vereor*, inquit, *ne quid mali imprudens fecerim.* *Laert. lib. VI. c. I.* Tales enim

sunt laudes malignæ, quos exposuit Celebris Vir *Dn. D. Job. Albertus Fabricius, Hamburgi, d. IX. Martii, 1700.*

§.XXXIX. Nonnulli ita laudant munus quoddam ambientem, ut ad omnia alia esse aptissimum profiteantur, dignumque, qui majoribus usibus, meliorique fortunæ servetur; saltem ut præsentī bono, quod desiderat, excidat. Hi sane Senecæ monito audientes non sunt, svadenti, ut laudemus parce, sed vituperemus parcius. Similiter enim, pergit, reprehensibilis nimia laudatio, & immoderata vituperatio: illa siquidem adulatione, ista malignitate suspecta est. *Epist. 41.*

§.XL. Neq; ullus facile inficiabitur, subdolam esse laudem, si quem cum maximi nominis viro comparemus, cujus tamen vitia etiam non sunt ignota, tantum ut eadem vitia laudato a nobis homini exprobremus, ejusque famam, quæ virtutem reddit illustriorem, tamen non majorem, teste *Bernhardo in Cant. Serm. 17.* diminuamus.

§. XLI.

Videntur insimul Deum per laudes velut calumniari, qui ita prædicant unum ejus attributum, ut hoc ipso impugnetur atqve evertatur aliud; aut etiam qui solis DEUM labiis laudant.

§.XLII.

Quantvis autem in quovis sermone cum veritatis, tum charitatis rationem haberi oporteat; tamen in rebus minoris momenti adeo tetricus accurata, & omnibus numeris absolutæ veritatis exactor esse nolim, ubi honestas aut pietas non læditur; quandoquidem encomia jurato non feruntur, & solennis est liberalium elogiorum usus; præsertim cum laudatus forte ad virtutes exercendas possit excitari. Atenimvero qui sola malitia studioque nocendi impulsī laudant, vereor, ne jus divinum & positivum *Proverb. XXVI. v. 18. & 23. Epb. IV. 25. Col. III. 9. Sap. VI. 17. c. XII. 22.* & naturale, neminem esse lædendum dicitur.

Etians, transgrediantur. Præsertim cum vita & fama pari pas-
su ambulent. Equidem sui officii laudando admoneri nemo
veræ laudis studiosus ægre feret; at mordaci vero aures ra-
dere, laudibusq; calumnia refertis, viris imponere honestis,
tanto erit sceleratius, quanto subtilius, astutius fraudulen-
tius.

§. XLIII.

Cum vero modus calumniandi per laudes, propter
opertas doli latebras nec videri possit nec tangi, conjectu-
ris saltem & præsumtionibus innitendum est, donec cir-
cumstantiæ facti animum cujusque dolosum declarent. Sic
dubium est nullum, quin injuriarum teneatur, si quis eum,
qui crimen per torturam purgavit, **einen wohlgezogenen Menschen** / nominet. Pariter in Ulmenli Re-
publica, miseram cujus vicem acerbe dolemus, calumni-
andi animum haud facile declinabit, si quis foeminam lau-
daverit. **du schöne Frau** / uti id *Besoldus Thesaur. Pract.*
voce **Schmachreden** / annotavit. Quemadmodum
vero consuetudinis gnari, vel qui ejus gnari esse debebant
aut poterant, calumniandi animo hæc protulisse præsumun-
tur; sic peregrinos, consuetudinemque eam prorsus igno-
rantes, a dolo calumniandique animo excusandos esse, est
dicendum. Tantam igitur malitiam, cum tanta subtilita-
te conjunctam, perpendentes populi moratiores, maxi-
mis delatores poenis affecerunt. Apud Persas enim calu-
mniarum convicto nec gladium gestare, nec muneri præ-
esse publico licebat. *Vid. Alexand. genial. diæ. lib. VI. c. 10.*
p. 342. De Domitiano & Antonino Pio constat, quod calumni-
atores morte multaverint, *vid. Dieterici Conc. in libr. Sap.*
Tom. 2. p. 165.

§. XLIV.

Quemadmodum igitur in animo sic laudantis radix
quædam amara est, ex qua ignominie, periculorum, & da-
mnorum fructus non raro pullulare solent; ita tamen

ubique finem suum non obtinet tanta per laudes calumni-
antium malignitas, sed frequentissime in suos recidit au-
tores, calumniatoriqve potius nocet, ejusqve famæ macu-
lam aspergit, & imprudenciam atqve invidiam prodit, qvam
quod detrahat quicquam dignitati hominis, rei, vel actio-
nis. Utut vero quandoqve calumniæ hæc obsint, atque ex
illis encomiis incommoda ad nos redundant; animo ta-
men æquo feramus, ceu alia adversa, quibus exercendi
sumus hac in vita. Nam docente Seneca: *Quoties necesse
est fallere, aut falli a suis, patiare potius ipse, quam facias sce-
lus.* Inprimis cum non illi solum, quem traducit, sed au-
dientibus etiam, & sibi ipsi magno sit detrimento calumni-
ator. Discamus potius illorum criminationibus cautius
merceri, animum laudantis perspicere, defectus nostros e-
mendare, dataq; occasione nos modeste purgare, & constan-
ti virtutis honestatisq; studio incumbere. Sic enim veritas,
invitis licet inimicis, laudes veras tandem exprimer certissi-
me.

§. XLV.

His ita explicatis, Gabrielem Bombasum silentii si-
pario involvere nequimus, quem magnis deprædicat
encomiis *Erythreus*, qui vero nomine *Jo. Victor Roscius* au-
dit, *Pinacoth. l. p. m 70.* Eum enim nullam in quemquam tra-
gulam injecisse fatetur, neminem ex occulto ac de insidiis,
honore vel commodo quopiam evertisse; nulliusque un-
quam laudibus tacendo vel maligne laudando detraxisse.

§. XLVI.

Per laudes etiam calumniaretur, qvi in locum litera-
rum *συστατικῶν* accusatorias substitueret. Ex *Dn. Christia-
ni Weisii, Rect. Zittav.* celebratissimi libro, de *argut. in-
script. lib. 2. c. IV. p. 500.* exemplum dare lubet, in quo sen-
sus occultus latet in verbis caractere antiquo expressis, &
sensus contrarius emergit juncto simul caractere cursivo:

Ac-

Accipis hominem	<i>mibi amicissimum,</i>
Indignum qui a re	<i>negligatur, dignum qui</i>
Colatur & juvetur	<i>omnibus fidei officiis.</i>
Eqvidem haectenus	<i>bonis semper quam</i>
Reprobis acceptior,	<i>est mei causa, nec</i>
Minus ex merito	<i>in adibus tuis</i>
Nunc excipietur;	<i>(quod impense rogo.)</i>
Si certae amicitiae	<i>non denegaveris</i>
Blanda testimonia	<i>ac talem te</i>
Eidem probaveris,	<i>qualem is desiderat.</i>
Poteram has literas	<i>tardius mittere, sed</i>
Denegare omnino	<i>officium, non licuit.</i>
Tu interim facies,	<i>si bene te novi,</i>
Ut ubique intelligat	<i>invidorum odia</i>
Nihil prorsus valere,	<i>sed ex adverso</i>
Hanc commendationem	<i>sibi fuisse salutarem.</i>

Vale.

Si plura quis de *Usu & Utilitate literarum commendatitiarum* nosse cupiat, Dissertationem evolvat PRÆSIDIS, quam Lipsiæ d. XIX. Octobr. 1698 habuit, prolixiusque hanc materiam est persequutus.

§. XLVII.

Hanc calumniarum malitiam representantes Athenienses, aram ei dicarunt, ubi ab Apelle ita efficta fuit Calumnia. In dextra quidem sedet vir permagnas habens aures, quales ferme Midæ feruntur: manum longe ille protendit accedenti calumniae. Circum ipsum vero sunt mulieres duæ ignorantia & suspicio. Ex adverso calumnia, mulier ornata & pulchra, sed aspectu ardens & in iram rabiemque concitata: lava facem accensam praeferens, dextra adolescentem quendam per capillos trahere videbatur, quæ manus ambas ad coelum tendebat superosque obtestabatur. Præcedebat vir pallidus, impurus, acute intuens, his propemodum similis, quæ longiori morbo sunt confe-

cti

cti. Hunc, invidiam & Livorem, facile cognoscas conjectura. Pone duæ erant mulieres aliæ, Calumniam dirigentes & adornantes: altera quidem Insidiæ, altera vero Deceptio vel Fallacia & Fraus. A tergo sequebatur Pœnitentia, pullas lacerasque vestes induta, quæ retro caput inflectens, flens ac lugens, pudore venientem veritatem excipere videbatur, ut testis est Theophrastus apud Diogenianum. Conf. *Job. Jacob. Hofmanni Lexic. Univers.* Voce *Calumniæ*, it. *Raynaud. Hoptob. contr. 167. Calumn. Sect. I. cap. 1. p. 11.* nec non *Lucian. de non temere credendo calumniæ, Tom. I. Opp. p. 841.*

§. XLVIII.

Tametsi vero de remediis hujus calumniæ quædam adferre possemus, eo tamen labore supersedemus, cum Dn. Joh. Joach. Mollerus Lipsiæ 1685, d. II. Julii, *Calumniæ remedia*, prolixè satis explicuerit. Monitum potius Musladini Sadi *cap. VIII. Rosar. Pers. p. 477.* annexere placet: Hostis, inq̄uentis, dolum ne admittas, magnique laudatoris superbarum tui prædicationem pretio ne compares. Ille enim fraudis laqueum tetendit, hic vero avaritiæ palatum aperuit. Stolido laudes audire suas pergratum est, atque perinde ut cadaver calce inflatum pinguedinem mentitur, laudum illecebris intumescere solet. Caveas, blateronis laudes audias, qui vile laudum suarum præmium à te sperat. Ni aliquando animum illius expleveris, ducenta de te vitia narrat.

§. LIX.

Atque hi præcipui sunt illi modi, quibus calumniæ per laudes longe lateque grassantur. Utinam vero hoc à crimine abstinerent, ei hæctenus qui indulserunt; maxime cum hæc artes auctoribus ut plurimum suis soleant esse perniciose adeo, ut sibi noceant, aliis dum interitum callido suo laudum popysino machinantur.

SOLI DEO GLORIA.

ULB Halle
003 620 00X


3

Sb.

VJ
17





53.

59

DISSERTATIO HISTORICO - MORALIS,
DE

**M O D O
CALUMNIANDI
PER LAUDES,**

QVAM
SUB AUSPICIIS DIVINIS,
SENSU AMPLISS. FACULT. PHILOSOPH
IN

ACADEMIA LIPSIENSI,

SUB PRÆSIDIO
**DOMINI,
M. CAROLI FRIDERICI
PEZOLDI,**

Scholæ Senatoriæ ad Div. Nicolai
Collegæ III. bene meriti,

FAUTORIS AC PRÆCEPTORIS,
ad cineres usque venerandi;

Die Martis, XXIX. Jan. M.DCCIV.

defendet
AUCTOR ET RESPONDENS

JUSTUS JACOBUS Schulze/

QVEDLINBÜRGENS. SAXO, SS. Theol. Stud.

LIPSIÆ,
LITERIS JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI.

